



N O V U S  
 THESAURUS  
 JURIS CIVILIS ET CANONICI,  
 CONTINENS  
 VARIA ET RARISSIMA  
 OPTIMORUM INTERPRETUM,  
 IN PRIMUM  
 HISPANORUM ET GALLORUM,  
 OPERA,

Tam Edita antehac, quam Inedita,

*IN QUIBUS UTRUMQUE JUS EMENDATUR, EXPLICATUR, ATQUE  
 EX HUMANIORIBUS LITERIS, ANTIQUITATIBUS, ET VETERIS  
 AFI MONUMENTIS ILLUSTRATUR.*

EX COLLECTIONE ET MUSEO

GERARDI MEERMAN,

*70<sup>th</sup>, ET REIPUBLICÆ ROTERODAMENSIS SYNDICI*

TOMUS PRIMUS.



HAGÆ-COMITUM,

APUD PETRUM DE HONDT,

MDCCLXXI.



SERENISSIMO  
GULIELMO CAROLO  
HENRICO FRISONI  
ARAUSIONENSI ET NASSAVIO  
PRINCIPI,  
FOEDERATÆ BELGARUM REIPUBLICÆ  
GUBERNATORI HEREDITARIO,  
ET  
ARMORUM TERRA MARIQUE PRÆFECTO  
SUPREMO, &c. &c. &c. &c.

GERARDUS MEERMAN,

**N**ON longe mihi petenda videtur ratio, PRINCEPS CELSIS-  
SIME, cur Illustrissimo Tuo Nomine hujus, qui mea cura in  
lucem prodit, Thesauri frontem insignire in animum induxe-  
rim. Quippe, ubi in memoriam revoco (id autem facio  
quam sepiissime) quanta benevolentia, quantisque beneficiis me, imme-  
rentem licet, obstrinxeris, ejusmodi illa esse profiteor, iis ut recensendis me  
omnino imparem sentiam; quumque iisdem, ILLUSTRIS-  
SIME PRINCEPS, quod rependam nihil habeam, præter gratissimi erga Te & obsequentissimi  
animi testimonium, in illius pignus ac tesseram hoc Tibi saltem qualecunque  
munus Literarium ea qua par est reverentia oblatum venio, quod ut pro insi-  
gni Tua & innata comitate æqui bonique consulere digneris, submisisse rogo.

P R Æ F A T I O  
H E N R I C I S T E P H A N I  
L E C T O R I

J U R I S C I V I L I S

F O N T E S

E T R I V I

H E N R I C I S T E P H A N I

L E C T O R I

Dum meam totius **JURIS CIVILIS** editionem expectas,  
(quæ quanto serius, tanto utilius operam tibi navabit,  
viamque multo solita breviorē atque expeditiorem,  
ad hæc studia aperiet) novum hunc libellum, ve-  
lut editionis illius arrham, præmitto.

# P R Æ F A T I O.

## HENRICUS STEPHANUS

### L E C T O R I.

**Q**UOD olim Naso cecinit, *Dulcius ex ipso fonte bibuntur aqua*, id quam verum sit, quotidiana nobis experientia ostendit. Ac eodem sane modo usavenire videmus ut, siquam aliunde sciamus derivatam esse doctrinam, fontem ejus monstrantibus magnam gratiam habeamus, atque ad eum curriculo contendamus. Quod si hoc omni in doctrina longe est (ut esse debet) gratissimum, quis in ea que omnes dignitate antecellit, idem futurum non speret? Ea est quam Græci Politicam, Latini, verbum verbo reddentes, Civilem nominaverunt. Quæ civilis doctrina atque adeo scientia priusquam emergeret, veluti submersam fuisse justitiam satis constat. Sed quemadmodum luci contrariæ tenebræ, cæ sunt demum quæ maximam ac præstantissimam illius vim arguunt, ita ubi omni politia desititur, tum vero quanta sit politice scientiæ vis, quantaque præstantia, gemebundi pariter & admirabundi cognoscimus. Majores certe nostri vitam quæ sub nullis legibus viveretur, feratam potius quam hominum esse, minime negarunt. Quorum e numero est Demosthenes nec non ille Græcus legislator, qui proœmium quod legibus suis præfixit, ita est exorsus,

*Ἰδὲ ἄλλοτε ἢ τὸ ἀνακτὸν ἐκπέλαρον ἐξῆς,  
καὶ βραχύτεν, ἢ γυμνὸν ὁ βραχύτεν.*

Id est,

*Tempus fuit quum turbulenta esset hominum  
Vita, & ferina, potentiorum sub jugo.*

Quæ quum ita sint, minime dubitandum existimavi quin doctrinæ politicæ studiosis, fontium ejus simul & rivorum aspectus maximam allaturus voluptatem esset. Verum ex rivis alios, primarios, alios, velut secundarios esse dico. Atque hoc appello nomine (nescio an satis proprie) rivos eos qui ex primariis potius rivis quam ex ipsis fontibus manasse videri queunt. Ita enim mos fert opinio, sicut primos legislatores Ægyptios ex Mosaicâ politia pleraque (præsertimque ea que legi naturæ consentanea videbantur) ita Græcos ex Ægyptiis multa sumpsisse. Unde fit ut nonnullæ Solonis leges, ex iis etiam quæ aliquid liberæ videntur habere, inter Ægyptias inveniantur. Atque hoc ipsum in causa est cur in quibusdam legibus purior Ægyptiorum quam Græcorum sit nomothelia. Neque enim rationi consentaneum est ut secundarii rivi eandem quam primarii puritatem habeant.

Neque tamen hæc a me ita dicuntur, quasi harum duntaxat gentium legibus dare locum oporteat. Invenimus enim apud alias etiam minus celebres nationes, leges nonnullas quas admiremur atque celebremus dignissimas. Ex quibus est illa Phrygum, ut siquis aratorem bovem occidisset, aut instrumentum aliquod eorum quæ agriculturæ usui sunt, furatus esset, capite plecteretur. Habuerunt quidem certe commendatam & Græci quidam legislatores agriculturam, quum aratrum pignori accipi veterunt: sed ita ut prudentia in iis merito desideretur: quippe qui aratrum quidem pignori accipi vetarent, at eum qui aratro usus esset, nexum inire permitterent. Quod si mihi de quapiam meorum etiam majorum lege mentionem licet facere, nullam, post Mosaicam (quæ Deum ipsum autorem habuit, non homines) inveniemus, quæ peregrinos æque commendatos habeat ac Celtica. Hæc enim eum qui peregrinum seu extraneum occidisset, capite plectebat: at qui civem, duntaxat in exilium pellebat. Quis vero nescit nullam hodieque nationem esse quæ erga peregrinos sequæ comem se ostendat? quæ ita illis omnia humanitatis officia exhibeat? Nisi forte alicubi civilia bella, sicut alia quedam majorum nostrorum præclara instituta, ita hoc etiam labefactarunt. Quod si totam illorum nomotheliam haberemus, non dubito quin multa sicut illi peculiaritæ, ita etiam maxima laude digna reperirentur: præsertim vero eorum quæ non tam ad res regulativas (quod vulgo jurisconsulti strictum jus appellant) quam ad res liberativas pertinent. Atque hoc inde colligo quod illud ipsum verbum non alia quam nostra lingua retinuerit. Dicimus enim *Epicaire*, sic tamen ut magis usitatum sit verbum inde factum *Epicaizer*.